Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ultauit in ſalutari meo. Et beata que credidiſti quia perficientur in te hec que dicta ſunt tibi a domino. Et ait maria. Magnificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancille ſue. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est. et ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo. diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Deposuit potentes de ſede. et exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis. et diuites dimiſit inanes. Suſcepit iſrael puerum ſuum. recordatus miſericordie ſue. Sicut locutus eſt ad patres noſtros. abraham et ſemini eius in ſecula. Manſit autem maria cum illa quaſi menſibus tribus. et reuerſa eſt in domum ſuam. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi. et peperit filium. Et audierunt vicini. et cognati eius quia magnificauit dominus miſericordiam ſuam cum illa. et congratulabantur ei. Et factum eſt in die octauo. venerunt circumcidere puerum. et vocabant eum nomine patris ſui zachariam. Et reſpondens mater eius dixit. Nequaquam. ſed vocabitur iohannes. Et dixerunt ad illam. Quia nemo eſt de cognatione qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem

uellent vocari eum. Et poſtulans pugillarem ſcripſit dicens. Johannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt omnes. Aperum eſt autem illico os eius. et lingua eius. et loquebatur benedicens deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum. et ſuper omnia montana iudee diuulgabantur omnia verba hec. Et poſuerunt omnes qui audierunt in corde ſuo dicentes. Quis putas erit puer iſte erit. Et enim manus domini erat cum illo. Et zacharias pater eius impletus eſt ſpiritu ſancto. et prophetauit dicens. Benedictus dominus deus iſrael quia viſitauit et fecit redemptionem plebis ſue. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum qui a ſeculo ſunt prophetarum eius. Salutem ex inimicis noſtris. et de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris. et memorari teſtamenti ſui ſancti. Iuris iurandum quod iurauit ad abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis. Vt ſine timore de manu inimicorum liberati ſeruiamus illi. In ſanctitate et iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis. Preibis enim ante faciem domini parare vias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum. Per viſcera miſericordie dei noſtri in